



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Controversiarvm Biga.

Caraccioli, Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1619

Primv Argvmentvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64242)

PRIMUM ARGUMENTVM.

102 **M**ARTINVS obiit vndecima Nouembris, die Dominica. Ita habet Sanctus Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. Franc. cap. vltimo, & ne corruptam notam numeri suspicere, id ipsum explicatè, & disertè repetit lib. 1. Mirac. cap. 3. his verbis: *Gloriosum ergo, & toti mundo laudabilem eius transitum in die Dominica fuisse, manifestum est, vt in sequentibus certis testimoniis comprobabimus, quod non parui meriti fuisse censetur, vt in illa die eum Dominus in Paradiso suscepit, qua idem Dominus, & Redemptor victor ab inferis surrexit, & vt qui Dominica solemnia celebrauerat impollutè, post mundi pressuras Dominica die locaretur in requie.* Gregorio ad stipulantur SS. Seuerinus Episcopus, & Euergistus tum Seuerini Diaconus, postea verò eiusdem in Episcopatu successor, quibus Dominica die Martinum ad cælos migrasse reuelatum est. Sed dies vndecima Nouembris ann. 402. non fuit Dominica, sed feria tertia, quia littera dominicalis fuit E, ergo falsum est Martinum obiisse ann. 402.

Vid. Vis.
horum SS.
Tom. 6. Sm-
rii.

SECUNDVM ARGUMENTVM.

103 **H**ABETVR ex Seuero Dial. 2. cap. 6. Beatissimum Martinum, quo primùm tempore factus est Episcopus, ad iisse Valentianum seniore; Id baronius non negat; sed contigisse scribit Anno Christi vulg. 375. post Consulatum Gratiani, & Aequitij, extremo scilicet Imperij Valentianiani, esto ita fuerit, quamuis alij nonnulli, vt Giselinus adnotat, multò citiùs alloquium illud consignent. Iam videamus quot Martinus annis Sedem Turonensem tenuerit, comperiemus non nisi 25. annos, quatuor menses, dies 7. lic enim apertissimè tradit Gregorius lib. 1. Mirac. cap. 3. *Per quinquennia quinque, bis in super geminis mensibus, cum decem diebus, &c.* per quæ verba, cum rythmo quodam sint composita, ideoque corruptelis minùs obnoxia, emendandus est alter Gregorii locus lib. 10. Hist. Franc. cap. 43 r. vbi scriptum reperitur, sedisse annos 26. menses quatuor, d. 17. scribendumque ann. 25, menses quatuor, d. 7. Iam verò si vera est opinio baronii, profectò Sanctus Martinus non solos 25. & quatuor menses, sed 27. integros, & ex parte 28. annos (quod est contra omnes Historicos, qui de Martino scripserunt) vixisset Episcopus. Res clara est, quippè si 375. fuit primus Turonicæ Sedis annus, & peruenit Martinus vsque ad Nouembrem 402. vtique vigesimo octauo Sedis anno decessit.

TERTIVM ARGUMENTVM.

104 **Q**UAMVIS concedamus Seuerum composuisse Vitam Beati Martini ipso Martino adhuc viuentè, tamen post Martini obitum edidit, quod probatur, quia non multò ante Martini obitum eam se Hi-

tori-